

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputatio Theologica Fridericiana, De Peccato Originali,  
Mortali Et Veniali, Martino Becano Opposita, Qvam Divina  
Favente Gratia**

**Franck, Christoph**

**Kiloni[i], [MDCCIII?]**

**VD18 13272659**

De Peccato Originali, Mortali Et Veniali.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-15866**

DE PECCATO ORIGINALI,  
MORTALI ET VENIALI.

I.

**B**ecanus, tractans hanc materiam lib. I. Manual. cap. XIV, declarat in proœmio, duplicem hîc inter Pontificios & Nos esse controversiam. Unam, *quid sit peccatum originale?* Nos docere, esse concupiscentiam; quod ipsi negent. Alteram, *an peccatum mortale & veniale inter se distinguantur?* Nos negare illa distingui, asserentes, omnia peccata ex natura sua esse mortalia; nullum veniale. Ipsos contra asserere, quædam ex natura sua esse mortalia, quædam venialia. Quid Nos de duabus istis quæstionibus statuamus, ex evolutione status controversiæ utriusque mox distincte patebit.

PRIOR QUÆSTIO.

*Quid sit peccatum originale? An sit concupiscentia?*

II. De nomine *Concupiscentiæ* præmittit Becanus num. I, sumi illud tribus modis. (1) pro naturali inclinatione seu pronitate ad concupiscendum malum. (2) pro motu concupiscentiæ involuntario, qui prævenit consensum voluntatis. (3) pro motu concupiscentiæ voluntario, cui accedit consensus voluntatis. Dehinc monet, quæri hîc de concupiscentia primo modo sumta: Nosque affirmare, quod quæritur; Pon-

tificios negare. *Est ergo, inquit, quæstio, An concupiscentia, primo modo sumta, sit peccatum originale? Affirmant Lutherani & Calviniste; qui hanc concupiscentiam alio nomine appellant hereditariam naturæ nostræ corruptionem seu pravitatem, quæ nos faciat reos æternæ damnationis: nos aliter sentimus.* Et hanc suam, suorumque sententiam postea exponit duabus conclusionibus. Prima est, num. II: *Peccatum originale, quod ex Adamo contrahimus, non est concupiscentia, seu inclinatio ad concupiscendum malum, quam nos vocamus concupiscentiam in actu primo.* Altera, num. IX: *Peccatum originale est privatio justitiæ originalis.* Ad primam conclusionem quod attinet, quando quæritur, An concupiscentia in actu primo, consistens in inclinatione, sive pronitate ad concupiscendum malum, sit peccatum originale? nos non statuimus, illam concupiscentiam esse totum peccatum originale; sed dicimus, carentiam justitiæ originalis, eique conjunctam pravam concupiscentiam, esse peccatum originale. Solet etiam quæstio ita simpliciter formari: An concupiscentia in actu primo sit verum & proprie dictum peccatum? Quod nos affirmamus, Pontificii negant: & ideo negant quoque, concupiscentiam in actu primo esse peccatum originale; quia voce peccati originalis verum & proprie dictum peccatum intelligunt. Cæterum eodem modo peculiaris etiam quæstio instituitur de concupiscentia in actu secundo, sumta pro actu involuntario concupiscendi malum, qui prævenit liberum voluntatis consensum; & quaritur: An concupiscentia in actu secundo, consistens in motu si-

ve



ve actu involuntario concupiscendi malum, sit verum & proprie dictum peccatū? Quod nos rursus affirmamus, negantibus Pontificiis. Vid. Becan. infra cap. XVII. quæst. I. num. I. II. IV. V.

III. Concupiscentiam in actu primo, pro naturali inclinatione & pronitate ad concupiscendum malum sumtam, esse verum & proprie dictum peccatum, probamus, (1) quia illa connata nobis inclinatio ad concupiscendum malum adversatur legi primæ creationis atque ordinationis divinæ, secundum quam illa à nobis abesse, & contra justitia originalis, eam excludens, nobis inesse debebat, ab Adamo in omnes posteros propaganda. (2.) quia Paulus istam inclinationem ad concupiscendum malum non tantum vocat peccatum; (non est autem à propria verborum significatione recedendum, citra manifestam necessitatem) verum etiam rationem veri & proprie dicti peccati illi tribuit. Vocat peccatum, Rom. VI. 12. *Ne regnato igitur peccatum in mortali vestro corpore, ut auscultetis ei incupiditatibus ejus.* Verſ. 13. *Neque sistite membra vestra arma injustitiæ peccato: sed sistite vos Deo, ut ex mortuis vivos, & membra vestra arma justitiæ Deo.* Et postea sapius. Tribuit ei quoque rationem veri & proprie dicti peccati, uti ex collatione citati Verſ. 13. cum Verſ. 19. patet, ubi Apostolus in eundem sensum: *Nempe sicut stitistis membra vestra serva impuritatis & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc sistite membra vestra serva justitiæ ad sanctimoniam.* Certū est, idem esse peccatum, de quo loquitur Apostolus Verſ. 13. & Verſ. 19. utrobique vetans ei arma vel serva sistere membra nostra; illudque peccatū, de quo loquitur Verſ. 13, esse



esse peccatum inhabitans, (vid. Rom. VII. 17. 19.) cui  
 ꝑf. 12 jusserat regnum & dominium in nobis eripi. *Ne  
 regnato peccatum in mortali vestro corpore, ut auscultetis  
 ei in cupiditatibus ejus.* Id ipsum vero peccatū cum ꝑf. 19.  
 appelletur ἀκαθαρσία καὶ ἀνομία, *impuritas & iniquitas*;  
 nonne hoc ipso peccati proprie dicti rationem illi inesse  
 significatur? Nam ἡ ἀμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, 1. Joh. III. 4. Quo  
 etiam pertinet, quod ꝑf. 19. idem peccatum opponitur  
 justitiæ. *Nempe sicut stitistis membra vestra serva im-  
 puritati & iniquitati ad patranda iniquitatem; ita  
 nunc sistite membra vestra justitiæ ad sanctimoniam.* I-  
 dem factum est ꝑf. præced. 18. *Et liberati à peccato,  
 servi facti estis jūstitiæ.* Et ꝑf. seq. 20. *Quum enim ser-  
 vi eratis peccati, liberi eratis justitiæ.*

IV. Ad locum Rom. VI. 12. *Non regnet pecca-  
 tum in corpore vestro mortali,* excipit Becanus, num.  
 IV: *Nomen peccati sumitur quatuor modis in Scriptura.*  
*Primo, proprie pro peccato, ut Joan. 1. 29. Ecce agnus  
 Dei, qui tollit peccata mundi. Et alibi sæpissime. Secun-  
 do, improprie pro causa peccati, ut loco citato. Nam  
 concupiscentia incitat ad peccatum. Tertio improprie,  
 pro effectu vel poena peccati, ut Zach. 14. 19. Hoc erit  
 peccatum Egypti, id est, poene. Quarto improprie,  
 pro sacrificio, quo expiatur peccatum, ut 2. Corinth. 5.  
 21. ubi Christus vocatur peccatum, qui fuit sacrificium  
 pro expiatione peccati. Eum, inquit Apostolus, qui non  
 noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, supple, Deus.  
 Ubi nomen peccati bis ponitur, semel proprie, semel im-  
 proprie. Respondeo: Ad probandum, hoc loco, quo  
 concupiscentia vocatur peccatum, sumi peccatum im-*

im-



improprie, pro causa peccati, nihil valet hæc ratio, quod concupiscentia incitet ad peccatum. An, quando aliquid vocatur peccatum, quod incitat ad peccatum, statim dicendum est, illud vocari peccatum improprie, sumta voce peccati pro causa peccati? Dic ergo, quando actus concupiscentiæ voluntarius, qui incitat ad peccatum externum, vocatur peccatum, illum vocari peccatum improprie. Dic, quando habitus vitiosus, qui incitat ad actus similes iis, ex quibus productus est, vocatur peccatum, vocari peccatum improprie, sumta voce peccati pro causa peccati.

V. Sic probavimus, concupiscentiam in actu primo, quæ consistit in naturali inclinatione & pronitate ad concupiscendum malum, esse verum ac proprie dictum peccatum. Sequitur, ut occurramus argumento, quo veritatem hanc Becanus impugnavit, num. II. Argumentum hoc est: *Quicquid habet rationem formalem peccati, hoc per Christi gratiam in baptismo tollitur ac deletur. Concupiscentia in actu primo non tollitur. Ergo non est peccatum originale. Major propositio fuse probabitur cap. 16. de Justificatione. Minor patet ex quotidiana experientia: quia sentimus in nobis inclinationem, & pravitatem ad concupiscendum malum, juxta illud Rom. 7. v. 23. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis mee. Et ex illa inclinatione prorumpit motus concupiscentiæ ad malum, Gal. 5. 17. Caro concupiscit adversus spiritum. Respondeo, limitando Majorem: Quicquid habet rationem peccati, hoc per Christi gratiam in baptismo tollitur*

litur ac deletur *simpliciter*, ita ut prorsus non sit amplius; ita negatur Major: tollitur ac deletur *secundum quid*, nempe *partim quoad reatum*, ut non amplius imputetur; *partim quoad dominium*, ne regnet in mortali nostro corpore; ita concessa Majore, negatur Minor. Concupiscentia in actu primo tollitur in baptismo, (1) quoad reatum, ut non amplius imputetur. Nam per baptismum consequimur remissionem peccatorum. Vid. loca Act. II. 38. XXII. 16. Eph. V. 26. Tollitur (2) quoad dominium: quia baptismus est lavacrum renovationis, Tit. III. 5. Per renovationem autem frangitur vis concupiscentiæ, ne robore capto regnum in nos exerceat.

VI. Ad uberiolem illustrationem sententiæ suæ, de concupiscentia in actu primo, Becanus num. III. partim ulterius declarat, quod illa non sit peccatum originale; partim indicat, quid ergo sit. Ad prius pertinent hæc verba: *Nota. Per concupiscentiam in actu primo, non solum intelligitur inclinatio seu pronitas ad malum, que est in appetitu sensitivo; sed etiam, que est intellectu, & voluntate. Nam hæ tres potentie seu facultates anime natura sua prone sunt ad quosdam motus inordinatos, & recte rationi repugnantes; verbi gratia, Intellectus ad falsa & erronea judicia: Voluntas ad odium, invidiam, desperationem; Appetitus sensitivus ad carnalia & terrestria desideria. Hæc ergo pronitas seu inclinatio istarum potentiarum, non est peccatum originale, ut probatum est: quia peccatum originale tollitur per baptismum; ista inclinatio non tollitur, sed manet. (2. Corinth. 12. vers. 7.) Manet autem ad exerciti-*  
um

*um virtutis.* Per concupiscentiam in actu primo non solum intelligi inclinationem seu pronitatem ad malum, quæ est in appetitu sensitivo; sed etiam, quæ est in intellectu & voluntate, recte dictum est. Hanc autem pronitatem seu inclinationem istarum potentiarum non esse peccatum originale, non convincit allata ratio, sumta à baptismo; uti modo ostendi, & simul exposui, quatenus peccatum in baptismo tollatur, vel non tollatur. De posteriori, quid nempe sit concupiscentia in actu primo? agitur verbis sequentibus: *Quid igitur est, inquires, hæc inclinatio? Est quedam imperfectio, quæ homini, si in puris naturalibus crearetur, esset naturalis: post lapsum vero primi parentis, est effectus peccati. (Genes. 3. vers. 7.) Et à Theologis vocari solet morbus seu languor nature, infirmitas, fomes peccati, vis appetendi immoderata, fons tentationis, juxta illud Jacobi 1. vers. 14. Unusquisque tentatur, à concupiscentia sua abstractus & illectus.* At falsum est, inclinationem ad malum homini, si in puris naturalibus crearetur, fore naturalem. Contra justitiam originalem, quæ inclinationem ad malum excludit, homini, in puris naturalibus spectato, esse naturalem, docet hoc argumentum: Justitia originalis fuit homini creato necessaria ad exercendos actus suos naturales. Ergo fuit homini creato naturalis. Consequentia nihil habet dubitationis: & ostendunt exempla, quicquid alicui necessarium est ad exercendos actus suos naturales, id esse illi naturale. Sic vis calefaciendi, quæ est necessaria igni ad exercendum suum actum naturalem calefaciendi, est igni naturalis: vis humectan-

B di,

di, quæ est necessaria aquæ ad exercendum suum actum naturalem humectandi, est aquæ naturalis. Et sic in reliquis. Antecedens, puta, justitiam originalem fuisse homini creato necessariam ad exercendos suos actus naturales, ita probatur: Actus hominis, ut naturæ rationalis, naturales ex parte intellectus sunt, cognito Deo creatore, dicere & præscribere, quomodo unusquisque in omni vita se gerere debeat, ut ei placeat ad salutem æternam. Quo etiam pertinet, si quid à Deo reveletur, ei, ut vero, citra omnem dubitationem assensum præbere. Ex parte voluntatis, bonum ab intellectu cognitum, ad ejus præscriptum appetere; malum vero averfari & fugere. Ex parte appetitus sensitivi, bonum sensibus cognitum, non promiscue, more brutorum, rationis expertium; sed ordinate, ad imperium voluntatis, intellectus præscripto se conformantis, appetere, citra omnem repugnantiam & luctam. Hi enim actus omnes scita sunt ipsius rectæ rationis, quæ in homine principatum tenet, & moralitatis regula est; naturæque rationali per se conveniunt. Ad istos autem actus exercendos homini necessaria fuit justitia originalis, eaque amissa homo impotens factus est ad illos exercendos. Cum ergo dicti actus sint actus hominis naturales, ad illos autem exercendos necessaria ei fuerit justitia originalis; colligitur hinc, justitiam originalem homini creato necessariam fuisse ad actus suos naturales exercendos. Ponamus autem, justitiam originalem homini, in puris naturalibus spectato, non esse naturalem; sed naturalem illi esse inclinationem ad malum, quam excludit



cludit justitia originalis: non tamen sequitur, inclinationem ad malum non esse peccatum. Nam si inclinatio ad malum homini, in puris naturalibus spectato, esset naturalis; etiam carentia justitiæ originalis esset illi naturalis: quia hæc duo, inclinatio ad malum, & carentia justitiæ originalis, necessariam inter se connexionem habent, ita ut uno posito, alterum quoque ponatur; & uno sublato, alterum quoque tollatur. Atqui carentia justitiæ originalis, etsi ponamus, eam homini, in puris naturalibus spectato, esse naturalem, adhuc tamen est peccatum, fatente Becano. Ergo, etiamsi ponamus, inclinationem ad malum homini, in puris naturalibus spectato, esse naturalem; non illico sequitur, eam peccatum non esse.

VII. Disputatum hæcenus cum Becano, de inclinatione ad concupiscendum malum, quæ vocatur concupiscentia in actu primo; de qua formavit conclusionem suam primam. Jam pergamus ad conclusionem ejus secundam, qua suam de carentia justitiæ originalis sententiam expressit, num. IX. his verbis: *Peccatum originale est privatio justitiæ originalis. Ita D. Thomas in 1. 2. quest. 82. art. 3. Ratio est, quia omne malum, & consequenter omne peccatum (puta, formaliter consideratum, & qua peccatum est) consistit in privatione alicujus boni seu rectitudinis. Sicut ergo peccatum actuale est privatio rectitudinis actualis; ita peccatum habituale est privatio rectitudinis habitualis. At non potest esse alterius, quam justitiæ originalis, qua privati sunt posterii Adæ, propter peccatum Adæ. Ergo. Hæc quidem hæcenus recte se habent; sed non pari*

ter illa, quæ sequuntur num. X. Nota, inquit. *Justitia originalis, quæ data fuit primis parentibus in paradiso, erat duplex. Altera subiciebat mentem Deo: altera carnem spiritui. Prior continebat habitus supernaturales fidei, spei, charitatis, & gratiæ justificantis: quibus intellectus & voluntas bene disponebantur. Posterior donum quoddam supernaturale, quo appetitus sensitivus refrænabatur, & perfecte subiciebatur rectæ rationi. Pro ratione trium illarum facultatum, intellectus, voluntatis, & appetitus sensitivi, tres quoque erant perfectiones, quæ singulæ singulis facultatibus primi hominis datæ sunt à Deo, & simul sumtæ unam constituiebant justitiam originalem. Hæc vero cum primo homini naturalis fuerit, ut probatum; non supernaturales, sed naturales dicendi sunt habitus, quos illa continebat. Male quoque ad illos habitus refertur gratia justificans: hæc enim, secundum Scripturam, non homini, sed Deo, ut actus quidam divinæ voluntatis, inest. Pergit Becanus: *Hæc tota justitia privati sunt posteri Adæ, propter ipsius prævaricationem. Nec tamen peccatum originale consistit in privatione totius justitiæ, sed solum in privatione illius justitiæ, quæ fuit in intellectu & voluntate; non autem illius, quæ fuit in appetitu sensitivo. Ratio est, quia peccatum originale tollitur per baptismum: at non tollitur privatio totius justitiæ originalis; sed tantum illius, quæ fuit in intellectu & voluntate; non autem illius, quæ fuit in appetitu sensitivo. Nam in baptismo infunditur homini fides, spes, & charitas, quibus sanatur intellectus & voluntas; non tamen infunditur donum illud supernaturale,*  
quo*

quo appetitus sensitivus refrenatur. Alioqui non diceret Apostolus: Caro concupiscit adversus spiritum. Falso dicitur, peccatum originale non consistere in privatione totius justitiæ, sed solum in privatione illius justitiæ, quæ fuit in intellectu & voluntate; non autem illius, quæ fuit in appetitu sensitivo. Neque id probat adjecta ratio, quod peccatum originale tollatur per baptismum: at non tollatur privatio totius justitiæ originalis; sed tantum illius, quæ fuit in intellectu & voluntate; non autem illius, quæ fuit in appetitu sensitivo. Utique tollitur per baptismum privatio justitiæ originalis & corruptio, in omnibus tribus potentiis; non tantum in intellectu & voluntate, verum etiam in appetitu sensitivo: sed tollitur ex parte, non ex toto; minuitur, non amovetur penitus. Et sicut in baptismo infunduntur homini dona supernaturalia, quibus sanatur aliquo modo intellectus & voluntas; ita etiam infunditur donum supernaturale, quo aliquo modo sanatur appetitus sensitivus. Dico: aliquo modo. Nam perfecte nec appetitus sensitivus, nec intellectus & voluntas sanantur. Sentiunt enim etiam renati & renovati, exurgere in intellectu suo malas cogitationes & dubitationes; in voluntate motus indeliberatos odii iræ, diffidentiae; in appetitu sensitivo motus concupiscendi objecta sensibus cognita, non convenienter rectæ rationi. Unde internus noster homo debet renovari in dies, II. Cor. IV. 16. non tantum ex parte appetibus sensitivi, ad declinandum à malo, sensibus grato; sed etiam ex parte intellectus, in agnitionem congruentem imagini ejus, qui ipsum



condidit, Col. III. 10; ex parte voluntatis, ad iustitiam & sanctitatem operam, Eph. IV. 24. Quamdiu autem renovatio nostra in intellectu, voluntate, & appetitu sensitivo, non est perfecta; tamdiu carentia iustitiæ originalis & corruptio in iisdem non est perfecte sublata. Hinc caro concupiscit adversus spiritum, Gal. IV. 17. Ubi vocem, caro, non ad solum appetitum sensitivum, ut vult Becanus, sed etiam ad intellectum & voluntatem referendam esse, liquido docent sequentia, quando inter opera carnis initio vs. 20: idololatria, & in fine ejusdem hereses enumerantur: quæ sane intellectus & voluntatis opera sunt.

### POSTERIOR QUÆSTIO.

*An peccatum mortale & veniale distinguantur ex natura rei?*

I. Becanus, illustraturus hanc quæstionem, an præter peccata mortalia sint etiam aliqua venialia? scribit num. II: Ut hoc intelligatur, notandum est ex D. Thoma in 2. 2. quæst. 88. art. 2. nomen peccati venialis tripliciter usurpari. (1.) pro veniali ex eventu (2.) pro veniali ex causa. (3.) pro veniali ex natura. Veniale ex eventu dicitur, cujus veniam consequimur. Veniale ex causa, quod aliquo modo venia dignum est, eo quod non ex malitia, sed ex passione vel ignorantia commissum est, juxta illud Apostoli I. Tim. 1. 13. Fui blasphemus, & persecutor; sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Veniale ex natura dicitur, quod nec mortem animæ adfert, nec æterna poena per se dignum est. De hoc solo agimus, quia hoc proprie opponitur peccato mortali

tali; & oppositas habet conditiones. Nam mortale, ut dixi, habet has duas. (1) Quod adferat mortem animæ. (2) Quod inducat reatum æternæ poenæ. Neutra conditio convenit peccato veniali, quod ex sua natura veniale est. His præmissis, format statum controversiæ, num. III, Est ergo, inquit, questio, an sit aliquod tale peccatum veniale, nempe ex natura? dicitque, plerosque Lutheranos & Calvinistas negare, asserentes, omnia peccata ex natura sua esse mortalia, & mereri æternam damnationem; quædam tamen esse venialia, non ex natura sua, sed quia non imputantur nobis à Deo: & quidem Lutheranos affirmare, omnia peccata infidelium esse mortalia, & imputari à Deo; fidelium esse venialia, id est, non imputari à Deo, excepto peccato infidelitatis.

II. Verum Becanus, cum ait, peccatum veniale ex sua natura esse, quod nec mortem animæ adfert, nec æterna poena per se dignum est, ejus naturam non sufficienter declarat, quoad prius membrum: sed sicut in posteriori membro dictum est, peccatum veniale ex sua natura esse, quod æterna poena per se dignum non est, non, quod non affert æternam poenam; ita etiam in membro priore dicendum erat, peccatum veniale ex sua natura esse, quod morte animæ per se dignum non est, non, quod non affert mortem animæ: ut ita peccatū veniale ex sua natura appelletur, quod nec morte animæ, nec poena æterna per se dignum est, sive quod nec mortem animæ, nec poenā æternam meretur. Motus indeliberati pravæ concupiscentiæ, itēq; actiones externæ indeliberatæ, non facile evitabiles, v. g. locutiones inconfi-

consideratæ, gestusque leviter lædentes charitatem, fidelibus nec mortem animæ, nec æternam poenam afferunt; & tamèn peccata venialia ex sua natura non sunt: eò quod morte animæ & æterna poena per se digna sunt; licet per accidens fiat, ut mortem animæ & æternam poenam non afferant, quia vi pacti Evangelici fidelibus non imputantur. Porro notandum, peccatum veniale per accidens, & ex eventu, sumi dupliciter (1) pro peccato, quod non excutit fidem, & statim, cum admissum est, remittitur & condonatur; ut motus indeliberati pravæ concupiscentiæ, de quibus modo diximus. (2.) pro peccato, quod excutit fidem, & inducit reatum æternæ damnationis; attamen, si homo resipiscat, redeunte fide remittitur & condonatur, ut adulterium, homicidium proæreticum. Plerique ex nostris dicunt, renatorum peccata alia esse venialia, alia mortalia, accipientes vocem peccati venialis prioris significatione, quæ stricta & propria est; non posteriore, quæ lata & impropria.

III. Ex dictis perspicitur, de eo hîc inter Nos & Pontificios esse controversiam: An dentur aliqua peccata, sua natura venialia, id est, quæ per se & sua natura non sunt digna morte animæ, & poenam æternam non merentur? Nos negamus: Becanus affirmat. Cujus hæc est prima conclusio, num. IV: *Præter peccata mortalia dantur etiam aliqua, quæ ex natura sua sunt venialia.* Deinde num. VII. distinguit peccata venialia, in venialia ex suo genere, & venialia ex imperfectione operis, hanc ponens conclusionem secundam: *Duplicia sunt peccata venialia. Alia sunt venialia ex suo*

suo

suo genere, ut verbum otiosum. Alia ex imperfectione  
 operis, cuiusmodi sunt partim illa, quae fiunt ex sub-  
 reptione, ut subiti & indeliberati motus concupi-  
 scentiae, irae, odii, superbiae: partim illa, quae cen-  
 sentur venialia ex parvitate materiae, ut furtum u-  
 nius oboli, quod neminem notabiliter ledit. Hinc  
 confirmatur praecedens conclusio. Nam in his veniali-  
 bus, quae iam recensui, non habetur ratio personae  
 peccantis, an illa sit praedestinata, nec ne; sed solum  
 spectatur natura actionis, an scilicet actio sit indelibe-  
 rata? vel an versetur circa objectum parvi momenti?  
 Ubi nota, Becanum per subitos & indeliberatos  
 motus concupiscentiae, quos peccata venialia ex  
 subreptione vocat, intelligere motus, qui surgunt  
 ratione non perfecte advertente; non vero motus, qui  
 surgunt ratione prorsus non advertente, & sunt inevi-  
 tabiles: hos enim negat esse peccatum. Vid. eius Theol.  
 Scholast. Part. I. Tom. prior. Tract. II. cap. V.  
 quaest. IV. & V.

IV. Nostram sententiam negantem probamus  
 hac ratione: Omne peccatum est contra legem, te-  
 ste Johanne, I. Ep. III. 4: *Peccatum est legis trans-  
 gressio.* Ergo omne peccatum est mortale, id est,  
 per se & sua natura dignum morte animae, & pae-  
 na aeterna. Consequentia probatur: *nam execra-  
 bilis est omnis, qui non manserit in omnibus, quae scri-  
 pta sunt in libro legis, ut faciat ea,* ait S. Paulus,  
 Gal. III. 10. citans dictum Moysi, Deut. XXVII. 26.  
 ad probandum, hominem nullum justificari ex ope-  
 ribus legis. At, qui ullum committit peccatum

G

qua-



qualecunque sit, non manet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Ergo qui ul- lum committit peccatum, qualecunque sit, execra- bilis est; & consequenter omne peccatum, quale- cunque sit, per se & sua natura morte animæ, & pœna æterna dignum est.

V. Excipit Becanus, num. XI: *Tametsi omne peccatum est contra legem Dei, non tamen omne pec- catum est contra finem legis, id est, contra charita- tem. (1. Tim. 1. 5. Finis præcepti est charitas.) Lo- cus Deuteronomii intelligitur de illo, qui sciens vo- lens non servat ea præcepta, quorum fit mentio in illo capite. Nempe præcepta, quæ prohibent idolola- triam, incestum, homicidium, & similia peccata mortalia. Igitur qui committit hujusmodi mortalia, subiectus est maledictioni: non autem, qui commit- tit tantum venialia. Alioqui justus, qui septies in die cedit, multis maledictionibus esset obnoxius. Respon- deo: Omne quod est contra legem Dei, est quo- que contra finem legis, id est, contra charitatem. Nam omne præceptum legis *summatim comprehen- ditur* in præcepto charitatis, Rom. XIII. 9. & *cha- ritas est completio legis*, ibid. v. 10. Quicquid er- go adversatur completioni legis, adversatur quo- que charitati. At omne peccatum adversatur com- pletioni legis. Ergo omne peccatum adver- satur charitati; & sic est contra finem legis. Lo- cum Deuter. XXVII. 26. non valere tantum de præ-*



præceptis, quorum mentio fit in illo capite, in quo multa præcepta de vitandis aliis criminibus sunt ommissa; sed extendendum esse ad omnia præcepta, quæ in tota lege usquam tradita apparent, clarissime nos docent supra citata verba Pauli, qui haud dubie mentem Spiritus sancti tenuit: *Execrabilis est omnis qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea*, Gal. III. 10. Cui opponitur, quod sequitur v. 12: *Qui fecerit ea homo, vivet per ea*. Sicuti autem hoc posterius omnia præcepta totius legis complectitur; ita & prius. Locus Proverb. XXIV. 16. *Septies* (Vulg. addit, in die, quod non legitur in hebræo) *cadit justus, & resurgit*, loquitur de adversis, in quæ incidit justus; non de peccatis. Patet ex contextu. Præcedit hæc adhortatio v. 15: *Ne insidieris impie, habitaculo justis, nec vastes accubitus ejus*. Subjungitur ratio v. 16. petita à frustratione. *Quia septies* (sæpe quidem) *cadit justus in calamitates, & tamen resurgit*, conf. Psalm. XXXVII. 24. Mich. VII. 8. adeo ut, quicquid adversus ipsum tentaveris, non possis tamen illum opprimere. *Impii autem corruent in malum*, ita videlicet ut non resurgant ex eo. Sequitur alia adhortatio v. 17. & 18: *Cum ceciderit*, חָבַט (idem verbum, quod de justo adhibitum fuit v. præced.) *in calamitates inimicus tuus, ne lateris, & cum impegit, ne exultet cor tuum. Ne videat Jehova, & malum sit in oculis ejus, id est, displiceat ei, & avertat ab eo furorem suum, & in te convertat*. Cæterum etsi justus sæpe in-

cidat in peccata venialia, quæ per se & sua natura digna sunt maledictione; attamen per ea non fit obnoxius multis maledictionibus: quia cum justis, credentibus in Christum, non agitur ex rigore pacti legalis; sed secundum pactum Evangelicum, (non enim sunt sub lege, sed sub gratia Rom. VI. 14.) vi cuius hujusmodi peccata, dum fidem non excutiunt, non impurantur, & maledictio auferatur.

VI. Jam venimus ad argumenta. quæ firmandæ sententiæ contrariæ adhibuit Becanus. Et primo quidem, quod sint quædam peccata, quæ æterna pœna per se digna non sint, num. IV. colligit ex illo Matth. V. 22: *Qui irascitur fratri suo,* (in græco additur, *inimicem, temere*) *reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit concilio: qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Ubi, inquit, distinguuntur tria peccata iracundiæ: quorum tertium æterna pœna dignum est, ac proinde mortale, reliqua duo non item. Respondeo: Non tantum tertium peccatum iræ æternæ pœna dignum est, sed etiam primum & secundum: (confer. Gal. V. 20. & I. Cor. VI. 20.) nec tantum per tertiam pœnam, *obnoxius erit gehennæ ignis*; verum etiam per duas præcedentes, *obnoxius erit iudicio*, & *obnoxius erit concilio*, videlicet ut jure damnandus, pœnæ æternæ denotantur, sed diverso gradu. Sicuti enim sunt diversi gradus peccati iræ; ita etiam sunt diversi gradus pœnæ, qui-

quibus illud vindicatur. Scribæ & Pharifæi re-  
 strinxerant quintum præceptum ad actum externum  
 homicidii, cui lex pœnam capitis constituerat, il-  
 lumque solum pro peccato contra quintum præ-  
 ceptum habebant. Christus vero docet, non so-  
 lum actum homicidii externum, sed etiam iram  
 triplicis generis mereri pœnam æternam. (1) iram  
 temere in proximum exardescentem, quæ intra  
 animum se continet; (2) iram, erumpentem in  
 convitium levius; & (3) iram se profundentem per  
 convitium atrox. Illam pœna æterna mitiore, i-  
 stam graviore, hanc gravissima dignam esse. Quam  
 pœnarum æternarum, quoad gradus, diversitatem  
 expressurus, alludit ad judicia forensia Judæorum.  
 Non enim proprie potest accipi, quod de judiciis  
 istis dicit: quia Christus noluit novas leges po-  
 liticas condere; neque etiam iudices cognoscere  
 & statuere poterant de ira non erumpente, nul-  
 lisque externis signis prodita. Itaque in verbis,  
*obnoxius erit iudicio*, voce iudicii intelligit pœnam  
 æternam, respondentem quodammodo supplicio,  
 quod ex sententia iudicii XXIII. virorum ( non  
 iudicii III. virorum, ad quod causæ capitales, qua-  
 lis erat causa homicidii, non pertinebant ) secun-  
 dum legem Exod. XXI. 12. sustinendum erat ho-  
 micidis. In verbis, *obnoxius erit concilio*, voce  
 concilii intelligit pœnam æternam graviorem, re-  
 spondentem pœnis, quas supremum iudicium, sive  
 synedrium LXX. virorum ( dictum synedrium  
 C 3, ma-



magnum, sicuti prius illud XXIII. virorum, synedrium parvum vocabatur) decernere solebat; quippe quod graviores dictabat pœnas, quam concilium XXIII. virorum, quia etiam graviora erant delicta, quæ ad illud, quam quæ ad hoc referebantur. Denique in verbis, *obnoxius erit gehennæ ignis*, vocibus gehennæ ignis intelligi puto pœnam æternam, talibus constantem cruciatibus, qui adumbrentur quodammodo immanibus illis cruciatibus, quos perpeti cogebantur Judæorum liberi, Molocho in valle Hinnom lento vivicomburio sacrificati; dum videlicet candentibus statuæ Molocho brachiis innexi, inter ejulatus eorum miserimos ustulabantur. Vide de Molocho Drusium, ad voces Ebraicas N. Testam. Commentar. prioris, voce, Moloch, pag. mihi 119. & voce Gehenna, pag. 69. item Buxtorff. Lex. Hebr. & Chald. voce, גֵּהֶנְנָה. Cum enim in populo Judaico celsius tribunal non esset synedrio magno, cuius pœnis indefinite Christus pœnas æternas levioris convitii comparaverat; nunc pœnas æternas gravioris convitii confert cruciatibus ignis, lenta ac misera morte conficientis liberos Judæorum, Molocho in sacrificium oblatos. Et hæc quidem collatio fit non sub ratione pœnæ: nam illa infantum ustulatio non erat pœna: sed sub ratione cruciatu maximi & acerbissimi. Confer. Grotii ad h. l. annotationes. Vox γῆεννα exprimit hebræum גֵּהֶנְנָה, quod est, vallis Hinnom. Plura de voce, Gehenna, videre est

est apud Drusium, ad voces Ebraicas N. Testam.  
 Commentar. posteriore, cap. XVI.

VII. Deinde Becanus, num. V. pro sua sententia affert locum Luc. VI. 41. *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non cõsideras? Ubi, inquit, peccatum mortale comparat cum trabe, quæ oculum extinguit; veniale cum festuca, quæ non extinguit, sed leviter lædit. Quæ differentia non sumitur ex prædestinatione, sed ex natura rei.* Respondeo: His verbis objurgat Christus iniquitatem eorum, qui ad minora aliorum vitia perspicaces, ad sua longe majora connivent. Conf. Matth. VII. 1. 2. 3. In festuca & trabe, quibuscum comparantur peccata, nihil aliud spectatur, quam quantitas; ita ut per festucam peccata minora, per trabem majora, similitudine quadam exprimantur. Respici vero simul ad effectum, videlicet quod festuca, incidens oculo, eum non extinguat, trabs vero extinguat; probari nequit. Imo vero fieri potest, ut etiam festuca extinguat oculum, si non eximatur.

S. D. G.



